





1796, 10.

DE  
CALCVLO MINERVAE  
SECTIO POSTERIOR

---

NOVVM MVNVS  
CALEND. DECEMB. A. O. R. c1010ccxcvi  
SOLLEMNI ORATIONE AVSPICATVRVS  
PROPOSVIT  
AVG. CORNELIVS STOCKMANN



---

LIPSIAE  
EX OFFICINA R. AVEARTHIA.

BE  
CALCULO MIBELVAE

1713

1713

1713

1713

1713

1713

1713

1713

1713





CAP. IV.

DE VSV CALCULI MINERVAE IN IVDICIIS  
CRIMINALIBVS.

**A**bsolutis iis, quae in calculo Minervae exponendo ad rem antiquariam faciunt, instituti ratio postulat, vt ad disciplinam iuris progrediamur. Ac primum quidem, siue repetitam illam ab historia fabulari originem, siue ipsorum negotiorum naturam spectes, in causis criminalibus solus huius calculi vsus, sola necessitas posita. Certe Atheniensium vetus fuit institutum, vt, paribus sententiis, pro reo pronunciarent: Eo ipso ostendere voluerunt, quam fauorabiliores accusatoribus reos existimauerint. Solent hoc vt plurimum arcessere ex iure stricto, vt ARISTOTELLES adeo contendere voluerit *Problem. Segm. XXIX. cap. 15.* ἔτι ὁ Φένων ὑπὸ τοῦ δικάοντος οὐδὲν πέπειθεν, ἀλλ' ἐν τοῖς ἴσοις αὐτοῦ ἤδη ἐμελλε νικᾶν. Mihi tamen studium illud, quo Athenienses inclaruere, in mitiorem partem pronunciandi ob numerorum paritatem, videtur magis ex aequo et bono, ex humanitate quadam, ac, paene dixerim, misericordia, ex innato quodam fauore et benigni-



benignitate, atque, vt Aristidis verbis vtat, δια τὴν δίκαιόν τινα Φιλανθρωπίαν prouenisse. Nam maius saepenumero reorum est periculum, quam accusatorum: inter aduersarios omnia oportet esse paria; nihil tribuendum vni, quod non alteri tribuatur, et, qui conditione sunt impares, compensatione sunt aequales reddendi. Ita ARISTOTELES in *Rhetoricis ad Alexandrum*: ita ARISTIDES *Orat. in Mineruam*. Quicquid sit: semper in iudiciis Atheniensium criminalibus, quibus natales debebat, inualuit calculus Mineruae. Neque aliter Romani, quibus sola suffragiorum aequalitas, ne vno quidem, qui vinceret, calculo adiecto, suffecit. Paribus sententiis placuit liberari, inquit, STRABO, Romae, cum scriba apud Catonem in Quaestura de falso accusatus esset; (dicebatur falsum testamentum scripsisse) pars ea iudicium, quae condemnauit, vna sententia superior fuit. Scriba a iudicibus condemnato, caussa a Lutatio Catulo Censore in causam defensa, precibusque a Catone spretis, M. Lollius, itidem Quaestor, aegrotans, lectica in iudicium venit, eorumque sententiis accessit, qui clementiores erant: quo facto, in melius inclinante humanitate, paribus scriba absolutus est. Sic PLUTARCHVS *Vita Marii* scribit: οὐ μὴν ἀλλὰ ταῖς πρώταις ἡμέραις ἐν τῇ δίκῃ κακῶς πράττων ὁ Μάριος καὶ χαλεπῶς χρώμενος τοῖς δικασταῖς τῇ τελευταίᾳ παραλόγως ἀπέφευγεν ἴσων τῶν ψήφων γενομένων. Sic CICERO *Orat. pro Cluentio In consilium*, inquit, erant ituri iudices triginta et duo, sententiis decem et sex absolutio confici poterat. Sic etiam apud Coelium *lib. VIII. Epist. 8.* irridetur Laterensis Praetor, qui, cum in caussa M. Seruillii aequo numero sententiae fuisset, quamquam duo ordines damnabant, non pronunciauit abso-

V

absolutum: neque enim ordines iudicantium numerari, sed iudices. Neque vigente solum republica, sed etiam posteriorum Imperatorum temporibus obtinuit iste fauor in publicis et criminalibus Romanorum iudiciis, cuius rei ratio petenda est ex luculenta et eleganti ANDŌCIDIS *Oratione περὶ τῶν μυστηρίων* in Io. IAC. REISKII *Oratt. graec. Vol. IV. vbi p. 3. αἰτούμαι ὄν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες*, inquit, ἔννοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ τῷ ἀπολογουμένῳ, ἢ τοῖς κατηγοροῖς· εἰδότες, ὅτι καὶ ἐξίστου ἀνερεῶσθε, ἀνάγκη τὸν ἀπολογούμενον ἔλαττον ἔχειν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύσαντες καὶ συνθέντες, αὐτοὶ ἀνευ κινδύνων ὄντες τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο· ἐγὼ δὲ μετὰ δέους καὶ κινδύνου, καὶ διαβολῆς τῆς μεγίστης, τὴν ἀπολογίαν ποιῶμαι. εἰκὸς ὄν ὑμᾶς ἔσιν, ἔννοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ, ἢ τοῖς κατηγοροῖς. Locus similis est apud LYSIAM edit. Taylori p. 331. Adeo vera sunt verba SENECÆ *Epist. LXXXI. reus sententiis paribus absolvitur, et semper, quicquid dubium est, humanitas inclinatur in melius: adeo vera sunt verba CATI* ICTI *Libr. V. ad Edictum provinciale: favorabiliores rei potius, quam actores habentur.* Et profecto tantus istis temporibus reorum fauor fuit, ut, quemadmodum Athenienses in iudicio reos ad dextram, accusatores ad sinistram collocarunt, ita penes Romanos rei possent custodes, qui accusationem instruendam obseruarent, mittere: non aequè accusatores. Ipsa lege aliqua id constitutum fuisse, PLVTARCHVS *Caton. Vit.* commemorat: νέμω δὲ τῷ Φεύγοντι ἀεὶ Φίλακα τῷ κατηγορῶ διδόντες, ὥστε μὴ λαθεῖν, ἃ συνώγει, καὶ παρασκευάζεται πρὸς τὴν κατηγορίαν. Vnde, quaestione de crimine apud Triumuiros proposita, reum, paribus sententiis, nisi absolutus fuerit, certe in minimum legi-

mus fuisse condemnatum. Ex Orestis enim causa, et, qua nititur, *ισοψηφίας* lege, profectus est constans ille ac perpetuo in iudiciis criminalibus usu conseruatus fauor reorum.

Occurrit in monumentis operum antiquorum, quae ab artibus nata sunt, figura, lucernae sepulchrali incisa, quam ad suffragandi rationem putant maxime esse comparatam. Seruauit eam primus, et cum orbe litterario communicauit IO. PETR. BELLORIUS in egregia lucernarum sepulchralium Collectione: *Le antiche lucerne sepulchrali figurate, raccolte dalle cave sotterranee e grotte di Roma, nelle quale si contingono molte erudite memorie, disegnate ed intagliate nelle loro forme da Pietro Santi Bartoli, diuise in tre parti con l'osservazioni di Gio. Pietro Bellori, in Roma 1691. m. 4. latine cura Alex. Dukeri, Lugd. Bat. 1723. f.* Hanc figuram, cum de vero operis argumento

*Grammatici certent, et adhuc sub iudice lis sit:*  
 curauimus iis, qui studio artium ingeniosae pulchritudinis capti tenentur, ex prima Belloriani Corporis editione quam accuratissime descriptam, et in limine huius Prolusionis praefixam, commoda ratione exhiberi. Scribit nimirum BELLORIUS *l. c. P. II. ad figuram XL.* fere haec: MINERVA. *Nota è la favola di Minerva prima inuentrice dell' Uliua, così chiamata da Virgilio oleaeque Minerua*

Inuentrix,

*nella contentione havuta con Neptuno; poiche, come à Cerere et Baccho gli Antichi donarono l' inuentione del grano et del vino, così à Minerva attribuirono il dono del olio, da essa la prima mostrato a' Mortali. Ciò s'appresentasi in questa lucerna, oue è disegnata vna mensa con un vaso.*

*Lo*



*La Dea preme con le dita il frutto dell' Uliva, et vi stilla dentro il liquore. In tal modo viene espresso ancora questo fatto in un marmo della Galeria Giustiniana. La lucerna si trova nel Museo di Gio. Pietro Bellori. At vero commune litteratae Germaniae ornamentum, CHR. GOTTL. HEYNIUS, qui petitam hanc ex lucerna Bellorii figuram Virgilio suis curis Lipsi 1787. sequ. 8. edito inseruit, istam Bellorii sententiam de Minerua fructum oleae digitis premente, eiusque liquorem vasi adstanti insillante reiecit, et in calce Tomi IV. p. 256. diuersam prorsus ab illa interpretationem exhibet. Est itaque, inquit, Minerua, in paribus suffragiis iudicum calculum suum absolueno reo apponens — Sane vas adstans vna seu stula, quodque Minerua manu tenet, calculus est. Quod quidem, quemadmodum VIRGILIUS Georg. Lib. I. v. 18. seqq. ad illud tempus, quo aduersus Neptunum de nomine ciuitatis contendit, alludere videtur: ita Martis et Neptuni iudicio, quod de hac re postea vterque apud Athenienses expertus est, optime conuenit, cum Minerua, teste POLYD. VERGILIO de inuentoribus rarum, Amstel. 1671. 12. p. 59. numerorum simul inuentrix feratur. Putarem tamen, ob oblongam eius, quod Minerua manu tenet, formam, non calculum, sed fabam potius dicendam esse, cum suffragia antiquissimo tempore nigris et albis fabis, quarum in locum deinceps calculi venerunt, ferre confueuerint, et fabis vicitare dicerentur, quibus hinc erat quaestus. v. DES. ERASMVS Adag. Chil. I. Cent. I. nisi in mentem veniret illud poetae:*

*Non opis est nostrae, tantas componere lites.*

Sed vt ad rem, et in viam, vt dicitur, ex diuerticulo reuertamur, occurrit quaestio, quae huius loci est, quamque *inexplicabi-*

plicabilem vocauit GELLIVS Noct. Att. Lib. IX. cap. 15. eum in modum concepta: de reo septem iudices cognoscant, eaque sententia sit rata, quam plures in eo numero dixerint. cum septem iudices cognovissent; duo censuerunt reum exilio mulctandum, duo alii pecunia, tres reliqui capite puniendum. petitur ad supplicium ex sententia trium iudicum: et contra dicit. Vincetne vna durior illa capitalis, an cedit duabus mitioribus? PÜTTMANNVS quidem *Elem. iuris crimin.* §. 977. p. 483. Vlr. Huberi sententiam sequutus, exilio reum mulctandum censuit: CUIACIVS *Ofseru. XII, 16.* quem miror non laudauisse QVINCTILIANI *Declam. CCCLXV.* super hac quaestione acutissima, capite puniendum statuit. Ego vero, si iudex sedeam, et motum animi sequi iubeam,

*ego mitis et osor*

*Sanguinis humani, condonem crimina nummis,*

vt ait AVSONIVS, aut certe mediam viam ineam. Quodsi tamen CUIACIVS addit: *diuersarum sententiarum non esse coitionem aduersus eam, in qua sunt plures idem sentientes: ipsi, cogente iure, vel inuito animo putarem subscribendum, et cum PRUDENTIO exclamandum:*

*Seruemus leges patrias: infirma minoris*

*Vox cedat numeri: paruaque in parte filescat.*

## C A P. V.

### DE VSV CALCULI MINERVAE IN IUDICIIS CIVILIBVS.

Sed illa ipsa, qua calculus Mineruae antiquitati commendatus fuit, humanitatis ratione factum est, vt a iudiciis criminali-

. bus

bus auocaretur et vtilitatis publicae causa transferretur ad negotia ciuilia. Recte enim, auctore PAVLO in *l. 47. D. de obl. et act.* Hadrianus ait, multum interesse quaeras, vtrum aliquis obligetur, aut aliquis liberetur? Vbi de obligando quaeritur, propensores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum: vbi de liberando, ex diuerso, vt facilius sis ad liberationem. Eadem humanitatis causa, cur in re dubia reus vincat, commotum scribit M. AVRELIVS Imperator in *Epistola ad Antig.* Alexandrum Magnum, cum actorem audiret, alteram aurem ocludere consueuisse: sin reum, nullam. Quid? quod ipsum adeo reum a Graecis dictum esse contendunt *Φεύγοντα*, quod libenter fugiat. Vnde sapienter Alcibiades, vt refert AELIANVS *Var. Histor. lib. XIII. cap. 38.* cum ab Atheniensibus ex Sicilia in iudicium vocaretur, dixit, stultum esse reum, licet iniuste accusatum, qui, cum possit fugere, non fugiat. Interroganti autem euidam, num iudicio patriae diffideret, ne matris quidem patriae respondit, quod fieri posset, vt errore ducta nigrum calculum pro albo inferret. Hinc, paribus iudicum delegatorum suffragiis, MODESTINVS *L. 28. D. de re iudic. et effectu sentent.* respondit, vtramque sententiam in pendentem esse, donec competens iudex vnam earum confirmauerit. Hinc IVLIVS PAVLVS *rec. sentent. lib. IV. tit. 12. §. 5. communem seruum*, ait, vnus ex sociis vinciendo futurae libertati non nocebit: inter pares enim sententias clementior seueriori praesertur. Et certe humanae rationis est fauere inferioribus, et prope innocentes dicere, quos absolute nocentes pronunciare non possumus. At vero his plane aduersa videntur verba PAVLI *L. 38. D. de re iudicata: inter pares numero iudices*, scribentis, si dissonae sententiae

tiae proferantur, in liberalibus quidem causis, (secundum quod a D. Pio  
 constitutum est) pro libertate statutum obtinet, in aliis autem causis pro  
 reo, quod et in iudiciis publicis obtinere oportet. Si diuersis summis con-  
 demnent iudices, minimam spectandam esse Iulianus scribit. At ibi solum  
 de iudicibus ordinariis sermo instituitur. Et quamuis HERMOGE-  
 NIANVS L. 24. D. de manumissionibus scriptum reliquerit: *Lege*  
*Iunia Patronia, si dissonantes pares iudicum existant sententiae, pro li-*  
*bertate pronunciari iussum: sed et si testes non dispari numero tam pro*  
*libertate, quam contra libertatem dixerint, pro libertate pronunciandum*  
*esse, saepe constitutum est:* egregie tamen vtriusque legis vim con-  
 ciliauit, ac rationem, cur in causa libertatis, romanis ciuibus  
 omnium rerum carissimae, aliter obseruatum fuerit, argumentis  
 adeo firmis ostensam fecit HERM. NOORDKERK *Specim. Lectio.*  
*p. 40, sequi, vt nihilum addam.* Collegit nimirum vniuersum iu-  
 ris circa hanc quaestionem progressum eo ordine, vt appareat, e  
 duodecim tabulis, si pares iudicum calculi fuissent, pro libertate  
 sententiam dicendam: a praetore autem, Iulii Caesaris iussu, si  
 ex iterata assertionem pares existissent sententiae, pro libertate  
 pronunciatum; ac post Diui Pii constitutionem, si per diuisa  
 Centumuirorum subsellia pares prolatae fuissent sententiae, pro  
 libertate statutum obtinuisse. De calculorum paritate in causis  
 publicis, feudalis, aliisque obseruanda cum praeter caeteros  
 PAVL. FRANC. ROMANVS *Diff. laud. satis exposuerit;* vno hoc,  
 quod hodiernis moribus rei in paribus iudicum aliter sen-  
 tentiarum suffragiis deprehensi absoluantur, addito, vela iam sunt  
 contrahenda.

Prope-

Properamus potius ad iucundissimam laetandi materiam,  
 cuius causa haec prolusimus. Placuit Serenissimo Principi  
 Electori Saxoniae, FRIDERICO AVGVSTO, PATRI PATRIAE,  
 amplissimis iam beneficiis in me indulgentissime collatis, per  
 SYMMOS VIROS, quorum sapientissimis consiliis res academicae  
 reguntur, aluntur, sustentantur, Professorem titulum de Regu-  
 lis, Iuris et Verborum Significatione Ordinariam, coniunctam  
 cum iure Illustri Ictorum Ordini adsidendi, clementissime mihi  
 demandare. Cuius beneficii magnitudo cum publica voce effe-  
 renda sit ac praedicanda: decreui, proximo Iouis die; hora ante  
 meridiem nona, in auditorio Iurisconsultorum, noui muneris, deo  
 duce et auspice, initia capere, recitata more maiorum oratione:  
*pro iurisprudencia humaniori*, votisque pro perpetua Optimi Prin-  
 cipis incolumitate, pro inconcussa Domus Augustae prosperitate,  
 et pro perenni Indulgentissimorum Eius Amicorum salute nun-  
 cupatis. Cuius pietatis caerimonia vt tanto sit sollempnior:  
 RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, SERENISSIMVM  
 PRINCIPEM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES ACA-  
 DEMIAE ATQVE CIVITATIS GRAVISSIMOS, COMMILITONES  
 denique GENEROSISSIMOS atque HVMANISSIMOS, vt eam fre-  
 quentia sua celebrare velint, omni, quo par est, cultu et ob-  
 feruantia, rogamus. P. P. in Vniuersitate Litterarum Lipsica die  
 Dominica I. Aduentus A. O. R. cIoIocccxvi.



Leipzig, Diss., 1796  
X. 2309056

ULB Halle

006 232 329

3







1796, 10.

DE  
MINERVAE

POSTERIOR

M MVNVS

A. O. R. c l o l o c c x c v i  
TIONE AVSPICATVRVS

OPOSVIT

IVS STOCKMANN



PSIAE

A R AVEARTHIA

8  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

Centimetres  
Inches

**Farbkarte #13**

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

